

ARTICULUS V.

De opere quartæ diei.

Opus quartæ diei sic describitur ibidem: Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento caeli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos...

Jam dixi art. 1. hujus Diss. Obj. 2. Solem & Sydera nomine lucis creata fuisse prima die quoad substantiam; sed hac quarta die perfectionem, & complementum tam quoad lucem, quam quoad alios effectus, & influentia accepisse: & ideo dicuntur facta quarta die, juxta usum frequentem Scripturæ, quæ res aliqua dicitur fieri, quando vel suum complementum, vel insignis perfectio illi accidit.

Dicuntur autem, luminaria esse in signa, scilicet prognostica aeris mutationum & tempestatum; ita ut sensus sit; in signa temporum, dierum, & annorum, quatenus ex diversis qualitatibus & influentiis illorum procedunt diversis temporibus, diebus, & annis, æstus, frigora, serenitas, pluvie, grandines, nubes, venti, hiems, æstas, ver, autumnus; atque inde dignoscitur tempus serendi, plantandi, metendi, navigandi, & similitum, quod indicatur Matth. 16. his verbis: facta vespere dicitis: serenum erit, rubicundum est enim caelum.

Dicuntur autem, luminaria esse in signa, scilicet prognostica aeris mutationum & tempestatum; ita ut sensus sit; in signa temporum, dierum, & annorum, quatenus ex diversis qualitatibus & influentiis illorum procedunt diversis temporibus, diebus, & annis, æstus, frigora, serenitas, pluvie, grandines, nubes, venti, hiems, æstas, ver, autumnus; atque inde dignoscitur tempus serendi, plantandi, metendi, navigandi, & similitum, quod indicatur Matth. 16. his verbis: facta vespere dicitis: serenum erit, rubicundum est enim caelum.

Petes, utrum corpora coelestia sint animata? R. (Ibid. art. 3. o.) non esse animata proprie, sic ut anima ipsis unia- tur tanquam forma materię, ut fit in plantis & animalibus: pos- sunt tamen dici animata improprie & æquivocè, quatenus subs- tantia spiritualis illis utitur contactu virtutis, ut motor mobilis.

ARTICULUS VI.

De opere quintæ diei.

Opus quintæ diei sic refert Moyses ibidem: Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatiles super terram sub firmamento caeli. Creavitque Deus cete grandia et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum...

Piscis dicuntur reptiles, quia id omne dicitur reptile, quod caret pedibus, aut cui sunt tam breves, ut non sint, aut vix sint apti ad gressum: sicut ergo serpentes in terra supra pectus rependo moventur, ita pisces, qui carent pedibus, in aqua quasi rependo natant. Difficultas est, utrum non solum pisces, sed etiam aves sint productæ ex qua? Alii negant, voluntque aves esse productas ex terra. Alii, & communis affirmant; utriusque in Scriptura fundati.

Primæ Sententiæ faver 1. Textus hebraicus, in quo volatilis non est accusativus verbi producant, sed nominativus verbi volat; sic enim habet: Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatiles volat super terram. 2. Favet cap. 2. Genes. ubi aves dicuntur formate ex terra his verbis: Formatis igitur Dominus de humo cunctis animalibus terræ, et universis volatilibus caeli. (quest. 71. artic. unico.) Secundæ autem Sententiæ, quæ est. SS. Hieronymi, Cyrilli, Ambrosii, Damasceni, S. Thom. & plurium aliorum, faver 1. Textus Vulgatæ relatus in capite articuli. 1. Paraphrasis Chaldaica; Versio Septuaginta, quæ sic habet: Producant aquæ reptilia animalium viventium & volatilia volantia, seu quæ volant, aut volare apta sunt super terram. Favet etiam hujus Sententiæ affinitas, quæ est inter pisces & aves. Et 1. Quantum ad locum naturalem utriusque, ærem scilicet & aquam, sunt enim elementa vicina & cognata, utrumque est diaphanum, humidum, molle, subtile, agitabile, facile cedens, & in invicem transmutabile; aer enim faciliè in aquam, & aqua in ærem vertitur. 2. Corpora avium & piscium sunt etiam affinia quoad agilitatem & levitatem, alie avium cor-

respondent pinnis piscium, & plumæ avium squamis piscium. 3. Quælis est natus piscium in aqua, talis est volatus avium in aere, ita ut pisces videantur aves aquatiles, & aves pisces aerei. 4. Denique multæ aves sunt aquatiles, ut Cigni, Anseres, Anates, Merguli, Halcyones, &c.

Ad primum fundamentum 1. Sententiæ respondetur 1. in textu Hebraico posse subaudiri pronomen quod, ut frequens est in hebraeo, ita ut sensus sit: & volatile, quod volat super terram, ut vertunt Septuaginta. 2. Vulgata, quæ ab Ecclesia declarata est authentica, præferenda est textui hebraico. Ad 2. respondetur ex Aug. l. 9. de Genes. ad Litt. c. 1. vel copulam Et non afficere hoc totum formatis de humo, sed priorem tantum vocem formatis, ita ut sensus sit: formatis igitur ex humo cunctis animalibus terræ, ac etiam formatis volatilibus caeli: Vel Moysen humum appellasse terram aquosam, seu aquæ mixtam. Verum hæc ultima Solutio non videtur coherere cum his, quæ docet Auctor hic, nimirum pisces productos esse ex aqua densiore, aves ex subtiliore, quales sunt vapores in aere?

Petes 1. Quomodo aquæ produxerunt pisces & aves? R. non produxerunt efficienter, sed materialiter, ministrando scilicet materiam omnipotenti Dei verbo.

Petes 2. Quid intelligitur per cete grandia? (Ibid. ad 4.) R. non intelligi unam speciem piscium, sed omne genus piscium magnorum, cujuscunque speciei; vox enim hebræa significat Dracones, & omnia grandia animalia: facta est autem mentio specialiter magnorum piscium; & non magnorum aliorum animalium; quia inter alia animalia nulla sunt tam prodigiosæ magnitudinis quam inter pisces: refert enim Plinius l. 3. Hist. c. 1. cetos 600. pedum longitudinis & 300. latitudinis intrasse flumen Arabie. Nihil autem simile videtur in aliis animalibus.

ARTICULUS VII.

De opere sextæ diei.

Opus sextæ diei sic exponitur ibidem: Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta & reptilia, & bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum masculum, et feminam creavit eos...

Recensentur hic tria genera animalium præter hominem, jumenta, bestia, & reptilia. Per jumenta intelliguntur animalia domestica, ut equi, boves, canes, oves, &c. Per bestias intelliguntur animalia sylvestria, ut leones, ursi, lupi, cervi, &c. Per reptilia intelliguntur, quæ carent pedibus, aut tam breves habent, ut vix eleventur a terra, ut serpentes, vermes, lacertæ, &c.

Petes, utrum omnes omnino animalium terrestrium species sint hæc sexta die productæ. R. omnes species animalium perfectas, quæ scilicet naturaliter produci possunt ex commixtione maris & formæ ejusdem speciei, fuisse hæc 6. die productas. Ita communitè; idque videbatur exigere perfectio Universi; (Q. 72. art. unico et q. 69. art. 1. ad 2.) consequenter etiam eas species animalium, quæ nunc sunt homini vel veneno vel voracitate nocivæ. Constat enim ex c. 2. Gen. serpentem tunc fuisse productum. Adde, hæc animalia pertinere ad perfectionem Universi, tum propter varietatem, tum propter varias utilitates. Attamen tunc non nocuissent homini, si non peccasset, nec se invicem, Deo sic disponente, devorassent, donec esset sufficienter propagata species.

Quantum ad minuta animalia seu insecta, quæ nascuntur ex sudore, putrefactione, exhalatione per virtutem syderum, vel elementis inditam, ut sunt pulices, pediculi, &c. distinguit S. Thom. (Hic ibid. ad 5.) Quæ nascuntur ex vitio, seu corruptione aliorum animalium, negat fuisse actu producta 6. die, sed potentialiter tantum, quæ verò nascuntur ex corruptione rerum ignobiliorum, ut aquæ, terræ, ligni, plantarum, concedit ea fuisse actu producta sexta die; quia, inquit, quod ex corruptione ignobiliorum generatur nobiliora, non repugnat primæ rerum institutioni; sicut repugnet, si ex corruptione nobiliorum generetur ignobiliora. (Q. 73. art. 1. ad 3.) Quantum denique ad animalia, quæ nascuntur ex congressu animalium diversæ speciei, ut mulus ex æquæ & asino, leopardus ex læna & pardo, negat fuisse actu producta 6. die, sed potentialiter tantum, quatenus data est virtus aliis animalibus illa producendi; quia talis commixtio est præter naturam. Unde Judæus fuit prohibita Levit. 9.

Ex

Ex dictis colliges quantum a veritate aberrant Cartesiani, qui brutis denegant animam sentientem, & volunt ea esse meras machinas. Non enim solum in textu laudato, sed in pluribus aliis formalisimè assertitur bruta vivere. Sic in eodem c. 1. Genes. v. 29. & 30. conceduntur brutis sicut hominibus herbe, & arborum fructus ad vescendum: Ecce, inquit Deus, dedi vobis omnem herbam, & omnia ligna... ut sint vobis in escam, & cunctis animalibus terræ, omnique volucri caeli, & universis quæ moventur in terra, in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Numquid puræ machinæ comedunt, vescuntur, nutriuntur, sicut homines? Et c. 9. ejusdem libri: Ecce, inquit Deus, ego statuam pactum mecum vobiscum, & cum semine vestro post vos, & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum, tam in volucribus, quam in jumentis, & pecudibus terræ cunctis... Et nequaquam ultra interficietis omnem carnem aquivivam. Quomodo autem interficere possit, quod non verè vivit? Et eodem modo loquitur Deus de interfectione bestiarum ac de interfectione hominis. Vivunt ergo bestia, sicut vivit homo. Lege reliquum cap. 9. in quo sæpe repetitur bruta vivere.

Equidem scio, Scripturam aliquando loqui ad sensum vulgi imperiti. Verum non licet ad hanc solutionem confugere, relicto sensu literali, & obvio, nisi cogente aliqua evidenti ratione, quæ hic non subsistit. Non enim negari potest esse possibilem substantiam, non extensam in partes, quæ sit capax solius sensationis, & directæ cognitionis sensibilium; in hoc enim nulla involvitur implicatio: hæc autem substantia non foret spiritus, quia esset irrationalis; neque materia, aut corpus, quia non esset extensa in partes, in qua tamen extensione Cartesiani reponunt essentiam materię, & corporis; sed foret media inter spiritum, & materiam, & cum esset ordinata ad constitutionem, & conservationem corporis, posset, & deberet dici hæc ratione forma substantialis materialis: in his, inquam, nulla est implicatio. Cum ergo sit possibilis anima sentiens, & Scriptura tot in locis tam luculentè asserat eam brutis inesse; quæ

fide; qua fronte id negare audent Cartesiani, & sensu Scripturæ naturali, & obvio relicto, nulla cogente ratione, confugiunt ad improprium, secundum, inquit, opinionem Vulgæ imperiti: quasi verò solum vulgus imperitum, & non doctissimi quique, atque universum genus humanum non semper cœnisset bruta verè vivere atque sentire: Irrationalia quoque animalia, inquit Aug. de vera Relig. c. 29. vivere atque sentire, nemo ambigit.

Confir. 1. Scriptura & SS. Patres passim docent, hominem convenire cum brutis in vita sensitiva, & passionibus; unde partem illam animæ, quæ sensu, & passionibus viget, animalentem vocant; & homines; qui sensum, & passionem sequuntur, neglecta ratione, animales, & pecudibus similes: Homo, inquit Psalmista, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. It. 1. Cor. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt. Ergo, sicut homo, sic bruta vivunt vita sensitiva. Confir. 2. Non sunt majora indicia animæ rationalis in hominibus, quam animæ sensitivæ in brutis; ergo, si his non obstantibus possum dicere bruta esse meras machinas, eadem ratione, seclusa revelatione, poterò reputare omnes homines a me distinctos puras machinas; quod quam sit absurdum, nemo non videt.

Quapropter, attenta suavi Dei providentiæ, veracitate, & bonitate, existimo non esse possibilem machinam, quæ absque anima sensitiva omnia, & eo modo peragat, quæ & quo modo peragat brutum tam ad conservationem propriam, quam ad conservationem, & propagationem speciei generando sibi simile; hoc enim esset nos inducere in errorem, seclusa revelatione, irreparabilem; quod repugnat suavi Dei providentiæ, veracitati, & bonitati. Plura de his ad Philosophos.

De homine autem, qui, quia est totius creaturæ corporeæ finis, & Dominus, ultimo productus est, & de quo multa sunt dicenda, sit

DISSERTATIO III.

DE HOMINE QUANTUM AD ANIMAM.

ARTICULUS I.

Utrum anima hominis sit materialis, seu corporea, an spiritalis?

Uldam antiqui Philosophi posuerunt, animam esse corpus (Hic q. 73. art. 1. o.) quia, non valentes transire imaginem, quæ solum circa corpora versatur, existimabant id, quod non est corpus, esse nihil. In hunc errorem impiegit Tertullianus factus Montanista, quem impugnat Aug. in pluribus locis. Inter incredulos hujus temporis, vulgo Deistas, sunt qui, ut sibi viam parent ad animæ immortalitatem, contendunt eam esse materialem, unde dicit Materialiste; contra quos omnes hic decertamus.

Supplico, animam rationalem esse formam substantialem hominis constitutivam cum corpore. Ita definit Concilium Viennense Clement. unica, de summ. Trinit. §. Porro, his verbis, Doctrinam, seu positionem asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia anime rationalis, seu intellectivæ verè, & per se humani corporis non sit forma, ut errantem, & vertentem Catholicæ inimicam predicto approbante Concilio damnamus. Patet insuper ratione; quia homo est animal rationale; quatenus animal, cum sit sensitivum, debet habere corpus; quatenus rationale debet habere principium ratiocinandi, quod neque est corpus; alias omnia corpora essent rationalia, neque alia forma, quam rationalis.

Porro definitur anima rationalis: Primum principium ratiocinandi. Vel: Actus primus corporis organici, potentiam, & vitam habentis.

Nota, spiritum triplici modo sumi posse. 1. Sumitur, proit opponitur solidiori materię; quo sensu purior sanguis dicitur spiritus, aut vitæ, aut animalis. 2. Sumitur pro anima sive sensitiva, sive rationali; quo sensu Eccl. 3. dicitur: Quis movit si spiritus filiorum Adam ascendat, sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum. 3. Sumitur pro substantia immateriali, & incorporea; & hoc sensu questio hic movetur de anima rationali. Pro cujus resolutione

Dico: (Ibid. & art. 2. a.) Anima rationalis non est materialis, seu corporea, sed est entitativè spiritalis. Prob. 1. ex Scriptura. Psal. 30. In manus suas commendo spiritum meum. Eccl. ultimo: Revertatur guttus in terram suam unde erat, & Theol. Billuart. Pars Prima.

Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. 1. Cor. 2. Quis enim hominum scit, quæ sint hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.

Si dicas, in Scripturis etiam animam brutorum vocari spiritum, ut patet ex Notamine. R. idem equidem esse vocabulum, sed sensum diversum, ut colligitur ex circumstantiis: anima enim hominis dicitur spiritus pro oppositionem ad corpus Eccl. ultimo cit. Spiritui autem jumentorum tribuitur tantum, quod est corporeum, scilicet descendere deorsum. Quibus patet, spiritum in homine sumi proprie pro substantia spirituali incorporea; in brutis autem pro corpore vivente.

Prob. 2. ex definitionibus Ecclesie. In 6. Synodo Generali Act. 11. Christus dicitur habere animam rationalem, & incorpoream; ejusdem autem naturæ fuit anima Christi, ac nostra. Item Concilium Generale Later. sub Innocentio III. refertur c. Firmiter de summ. Trin. definit, Deum ex nihilo utramque condidisse creaturam spirituales, & corpoream, angelicam scilicet, & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex corpore, & spiritu constantem: ergo anima est entitativè spiritalis, & non corpus.

Prob. 3. ex SS. Patribus. Aug. Ep. 28. & 157. l. 1. h. 80. l. 1. contr. Ep. fundam. c. 16. l. 4. de anima c. 12. & sequentibus, & alibi asserit, & probat, animam rationalem non esse corpus, sed spiritum. Idem S. Basil. hom. 3. in illud dicitur: Attende tibi ipsi. Ambros. l. de Noë, & Arca c. 25. S. Bern. serm. 40. in cant. & alii PP. communitè.

Si quidam fortè opponantur, qui videntur dixisse animam esse corpus, exponendi sunt, sicut Aug. har. 86. exponit Tertullianum dicentem Deum esse corpus, de corpore improprie sumpto pro omni eo, quod naturaliter subsistit, & opponitur nihilo, non verò de corpore proprie sumpto pro mole extensa in partes, & opponitur substantiæ immateriali. Vel eis opponatur communissima aliorum Patrum Sententia.

Prob. 4. ratio. Principium operationis spiritualis est spirituale, non materiale, aut corporeum; atqui anima rationalis est principium operationis spiritualis: ergo. Maj. est certum totum enura, quod habet operatio, habet a suo principio. Prob. Min. Anima est principium cogitationis, intellectus, voluntionis, odii, amoris, desiderii, spei, &c. Item reflexionis super has suas operationes; atqui istæ operationes sunt spirituales, non materiales: ergo. Prob. Min. dupliciter: 1. si istæ operationes

ss 2

es-

Utrum anima rationalis sit incorruptibilis, & immortalis.

essent materiales, haberent partes, essent extensæ in longum, latum, & profundum, essent figuratæ, quadratæ, rotundæ, oblongæ, &c. essent capaces motus localis, haberent sursum, deorsum, dextrum, & sinistrum, &c. Hæc enim omnia sunt proprietates materiæ, quantumvis minute, & quovis modo modificatæ, naturaliter inseparabiles. Consequens est absurdum ergo.

Prob. 2. eadem Min. Istæ operationes attingunt spiritualia, Deum, & Angelos, mysteria fidei, virtutem, iustitiam, pietatem, naturas, seu quidditates universales abstractas a materia, & singularitate, rerum distinctionem, & possibilitatem, æternitatem, infinitum, &c. Hæc enim & plura alia sunt spiritualia, & intelligibilia dumtaxat; atque operatio, cujus objectum est spirituale, est ipsa spiritualis, & non materialis, cum specificetur a suo objecto: ergo.

Confirm. 1. Anima reflectit supra se, supra suas cognitiones, & alias operationes, ut jam diximus, eas perpendit, discutit, approbat, aut reprobat; atque hujus reflexionis; discussionis, & iudicii est incapax materia, non solum quia id totum est quid spirituale, sed etiam quia materia non potest agere in seipsum, cum non habeat in se principium actionis, sed ex se sit iners, & immota: ergo. Confirm. 2. Datur in homine conscientia, quæ ipsum terret, dum vult committere crimen, & remorsibus cruciat, dum commisit; atque non materia, sed sola natura spiritualis est capax hujusmodi conscientiæ: ergo. Prob. Min. Leges morales non imponuntur materiæ cæcæ: ergo materia non potest esse nocens, nec consequenter capax conscientiæ terrentis, aut remordentis.

Obj. Anima informat corpus, & est radix quantitatis, & ceterarum proprietatum corporearum: ergo est corporea, & materialis. R. D. Conseq. ergo est corporea, & materialis eminenti, seu ut alii dicunt, ut quod & informativè, C. Formaliter, seu ut quod, entitativè, N. Id est, anima rationalis habet in se, eminentiori modo, quiddam habent formæ corporeæ, & materiales, & ideo potest communicari corpori, & ipsi tribuere quiddam aliæ formæ corporeæ ipsi tribuunt, scilicet quantitatem, & alias affectiones corporeas: at in sua entitate eminet formis corporeis, & attingit ad nobilitatem formarum immaterialium, ut patet ex probationibus Conclusionis, præsertim ex ejus operationibus.

Inst. 1. Anima individuatur a corpore: ergo ab eo dependet in suo esse, sicut est corporea. R. D. Ant. Anima individuatur a corpore quoad persistentiam existentiam, N. Quoad persistentiam incommunicabilitatis, C. Individuatio duo dicit: 1. Persistentiam existentiam, seu existere per se independentem ab alio tanquam a subjecto: seu materia. 2. Incommunicabilitatem ulteriori supposito; hæc habet anima a corpore; persistentiam autem existentiam a se ipsa, quam corpori communicat, non propter dependentiam, sed propter abundantiam.

Inst. 2. Anima in intelligendo dependet a sensibus corporeis, & phantasmibus imaginationis; juxta enim vulgatum axioma, nihil est in intellectu, quod non fuerit prius in sensu: ergo & in essendo; esse enim & operari proportionantur. R. D. Ant. (*Ibid. art. ad 3.*) Anima in intelligendo dependet a sensibus exterioribus, & phantasmibus, seu speciebus materialibus imaginationis præsuppositivè, tanquam a Ministris propoñentibus objecta, Transit Ant. universaliter sumptum; tanquam a principio, & subjecto intellectionis, N. Cum enim, ut probavimus, intellectio sit actio immaterialis, non potest procedere a principio materiali, nec subjectari in subjecto materiali.

Dixi: *Transcat Ant. universaliter sumptum;* quia, licet verum sit corporea, & sensibilia a nobis intelligi pro hoc statu dependentem a corporeis, & sensibilibus; multi tamen hodie negant, id esse verum universaliter, voluntque multa esse, quæ omnino independentem a sensibus externis, & a phantasmibus materialibus imaginationis cognoscuntur. Sic v. gr. cognosco me cogitare, me velle, me amare, me odire, me credere, cognosco æternum, infinitum, &c. Horum objectorum cognitiones, inquit, non hauriuntur ex sensibus externis visu, tactu, auditu, &c. ista enim objecta non sunt visibilia, tangibilia, sonora, &c. neque dependent a phantasmibus, seu speciebus materialibus imaginationis; ista enim objecta non sunt extensa in longum, latum, & profundum, non sunt figurata, &c. qualia sunt phantasmata utpote materialia.

Si dicas: Quidquid concipimus, ad instar corporis concipimus. R. 1. juxta præcedentem Recentiorum solutionem, R. Ant. Cujus enim corporis figuram dabis cogitationi, voluntati, amori, odio, &c.? R. 2. D. Anteced. Quidquid concipimus, ad instar corporis concipimus primo intuitu, Transit Ant. Discurrendo, N. Sic enim removemus ab omni objecto corporeitatem, & pervenimus ad quidditatem præciè intelligibilem; quod est apertum indicium corporeitatem non esse objectum intellectionis nostræ, cum nullus actus feratur in aliquid, removendo ab ipso nostro objectum specificativum.

ARTICULUS II.

Utrum anima rationalis sit incorruptibilis, & immortalis.

Dico: (*Ibid. art. 6. o.*) Anima rationalis est incorruptibilis, & immortalis. Prob. 1. ex Scripturis, & Patribus. Sapient. 2. postquam sæpius retulit verba, & sensus impiorum de mortalitate anime, sic concludit: *Hæc cogitaverunt, & erraverunt, excæcavit enim illos malitia eorum.* Ibid. c. 3. *Iustorum anime in manu Dei sunt... visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Et c. 5. *Iusti autem in perpetuum vivunt.* Eccl. 12. *Revertatur pulvis in terram, sicut undè erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum:* ergo non perit anima cum corpore. 2. Machab. 12. *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Ibid. c. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Ibid. c. 22. Christus referens illud Exod. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob,* submittit contra Saduceos: *Non est Deus mortuorum, neque justique vivunt.* Vivebant ergo illi Patriarchæ secundum animam, licet essent corpore mortui. Apocal. 6. *Anima interfectorum propter Verbum Dei adhuc vivunt, & accipiunt singuli stolas.*

Hæc sufficienter de Scripturis, immensus enim foret, si omnia, quæ in illis probant immortalitatem anime, referrent. Similiter de SS. Patribus, qui unanimiter immortalitatem anime asserunt, nullis amplius terroribus, & remorsibus crucientur; & juxta de contra gravioribus scrupulis, & anxietatibus torqueantur; proderit ergo impio, in omnia vita irruendo, conari executore omnium remorsum, & virtus in justo absolute manebit præmio. Hinc Apost. 1. Cor. 15. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Ex his habes contra Scotum, immortalitatem anime non solum fide cognosci, sed etiam ratione naturali demonstrari.

Prob. 2. ex definitionibus Ecclesiæ. In Concilio generali Lateran. sub Leone X. Sess. 8. sic definitur: *Sacro approbante Concilio, damnamus, & reprobanus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse.* Et cap. *Firmiter* de Summ. Trinit. ex Concilio generali Lateran. sub Innoc. III. habemus definitum, quod *Reprobi puniuntur in æternum cum Diabolo, & juxta præmiabuntur in æternum cum Christo* Ex his sequitur, immortalitatem anime pertinere ad fidem pro his, qui illum lumine naturali non attingunt.

Prob. 3. ratione speculativa. Duplici modo potest aliquid corrupti, (*Ibid.*) per se, & per accidens. Per se, quando forma sui constitutiva destruitur, sic v. gr. corrumpitur equus; vel quando separatur, sic corrumpitur homo. Per accidens, quando desinit ad destinationem subjecti, sic corrumpuntur accidentia; vel ad separationem materiæ, sic corrumpuntur formæ materiales. Atque anima rationalis neutro modo est corruptibilis; non per se, quia anima rationalis est forma simplex, non composita ex aliqua forma, sed compositus hominem cum corpore; non per accidens ad destinationem subjecti, qui non est accidens, sed forma substantialis; neque ad destinationem materiæ, quia, cum non sit materialis, utpote noneducta de materia, sed spiritualis a Deo creata, & unita materiæ, cui communicat suum esse, nec in esse, nec in fieri dependet a materia, sed est per se independentem a quovis subjecto, seu materia subsistens: ergo.

Confirm. 1. (*Ibid.*) Non est corruptio, ubi non est contrarietas; generationes enim & corruptiones sunt ex contrariis, & in contraria: undè cælestia corpora, quæ non habent materiam contrarietati subjectam, sunt incorruptibilia; atque in anima intellectiva nulla est contrarietas tam ex parte suæ substantiæ, quæ est simplex, quam ex parte receptorum; rationes enim contrariorum, quæ recipiuntur in anima, non sunt in ea contrariæ, cum sit una, & eadem contrariorum scientiæ: ergo.

Neque refert, quod in anima possint esse contrariæ opiniones, & quod possit transire de errore in scientiam, quod est mutatio de contrario in contrarium; quia tam opiniones, quam error secundum entitatem sunt in anima sine contrarietate: secundum autem veritatem, & falsitatem sunt quædam contrariæ, sed non ex parte subjecti, sed ex parte objecti; ex hoc enim quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, & una propositio eadem manens potest de vera fieri falsa, & e contra.

Si dicas: Nihil obstat, quin detur aliquid agens naturaliter in animam, ejus existentiam destruens. R. id heri non potest; quia si nec esset corruptio, sed annihilatio, cum tota anima abiret in nihilum, nihil sui relinquens; annihilatio autem sicut creatio, soli Deo competit, cum sit suspensio totalis ejus concursus, quem nullum agens creaturam suspendere potest. Undè restat, animam esse naturaliter, & ab intrinseco immortalem, & incorruptibilem, atque tantum per solam Dei potentiam extraordinariam esse annihilabilem: de facto autem nunquam esse annihilandam, evincunt duæ primæ probationes Conclusionis.

nis, & ordo divinæ providentiæ, quæ nihil horum, quæ fecit, annihilat. Undè Confr. 2. Dissoluta corporis & anime unione, corpus non annihilatur, sed solvitur in partes, quarum nulla perit, aut annihilatur; atque anima, cum sit spiritus, non habet partes in quas dissolvatur, & cum sit longè nobilior, & dignior corpore, rationi repugnat, quod isto permanente illa annihilaretur: ergo.

Prob. 4. argumento morali: Virtuti debetur præmium, & poena peccato: ita recta ratio & æquitas naturalis exigunt; idque obtinet in omni Republica bene ordinata, a fortiori in administratione, & gubernatione Universi, quæ est a Deo ejus Auctore; atque sapius in hac vita boni affliguntur, & opprimuntur, dum mali prosperantur & letantur: ergo est altera vita, in qua boni meritorum coronas, & mali peccatorum poenas recipiunt.

Si dicas, malis in hac vita esse supplicium per terrores & remorsus, quibus cruciantur; bonis esse præmium per pacem internam & voluptatem, quam in exercenda virtute degustant. R. 1. Neque impii terroribus, & remorsibus in hac vita cruciantur in perpetratis criminibus, neque justique pace & voluptate fruuntur in exercenda virtute, nisi quia utrique expectant & cetero scilicet esse justum Iudicem in altera vita; peccatorum vindicem, & meritorum præmiatorem. Tolle hanc expectationem, neque impii terrentur, neque justique consolabuntur. 2. Sæpe contingit, quod impii, cum in profundum impietatis venerint, nullis amplius terroribus, & remorsibus crucientur; & juxta de contra gravioribus scrupulis, & anxietatibus torqueantur; proderit ergo impio, in omnia vita irruendo, conari executore omnium remorsum, & virtus in justo absolute manebit præmio. Hinc Apost. 1. Cor. 15. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Ex his habes contra Scotum, immortalitatem anime non solum fide cognosci, sed etiam ratione naturali demonstrari.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Ex multis Scripturæ locis eruitur, animam hominis esse mortalem. 1. Ps. 142. dicitur: *Exibit spiritus ejus (scilicet hominis) & revertetur in terram suam.* 2. Eccles. 3. *Unus est interitus hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic illa moriuntur, similiter spirant omnia, & nihil habet homo juncto amplius.* 3. 1. Tim. 6. *Solus Deus dicitur immortalis: ergo, R. N. Ant. Ad 1. textum sensus est: Exibit spiritus hominis, & homo secundum corpus revertetur in terram suam; seti quod idem est: exhibit spiritus ejus a corpore, & corpus revertetur in terram suam: conformiter ad hanc alteram sententiam Eccl. ultimo: *Revertatur pulvis in terram suam, undè erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.**

Ad 2. (*Ibid. ad 2.*) Prima Responsio S. Thom. est, Ecclesiasten locutum fuisse in persona impiorum; dicit enim: *Dixi in corde de filiis hominum, id est, quid sentiant filii hominum, scilicet unus est interitus, &c.* Idque patet ex cap. ultimo jam citato ejusdem libri, ubi idem Auctor asserit immortalitatem anime dicendo: *Revertatur pulvis in terram suam, undè erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* (*Ibid. & q. de anima art. 14.*) Altera responsio ejusdem S. Thom. est, Ecclesiasten loqui de homine quantum ad corpus, secundum quod est ejusdem conditionis cum jumentis, non verò quoad animam, ut patet ex ultimo cap. jam pluries citato.

Si dicas, Ecclesiasten addere: *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendit sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum;* ubi agitur de anima hominis. R. sensum esse, vel difficile esse cognoscere per rationem animam esse immortalem; idque a paucis cognosci, vel neminem id posse cognoscere notitia sensuum, seu experimentalium; non tamen negat, id posse cognosci ratione naturali & revelatione.

Ad 3. Solus Deus dicitur immortalis perfectè & omnimodè; tum quia habet immortalitatem per essentiam, quam Angeli, & homines habent per participationem; tum quia annihilari non potest, sicut possunt Angeli, & anime rationales, per suspensionem concursus divini.

Interes: ergo anima rationalis non est simpliciter immortalis, siquidem possit desinere per annihilationem. R. N. Illationem; tum quia non dicitur aliquid simpliciter immortale ex eo quod non possit a Deo annihilari, sed ex eo quod nullum in se habeat principium corruptionis, ut est anima rationalis; tum etiam, quia licet sit absolute annihilabilis, nunquam tamen facta esse annihilandam ex justo Dei nutu, evincunt Scripturæ, Patres, & Concilia, ut patet ex primis probationibus conclusionis.

Inst. In 6. Synodo generali Act. 11. Anima rationalis dicitur immortalis, non per naturam, sed per gratiam Dei: ergo non est ex se, & ab intrinseco immortalis. R. N. Conseq.

Quia sensus Concilii est, quod anima rationalis non sic sit immortalis per naturam, quasi ab alio in suo esse non pendat ut Deus; sed per gratiam, non quidem quæ sit beneficium ordinis supernaturalis, sed liberale donum & influxus Dei auctoris naturalis, sine meritis præcedentibus collatum, quo indigni omnes creaturæ, ut vivant vel existant; quo sensu quilibet homo potest de se ipso dicere, quod per Dei gratiam vivat, & sit homo.

Obj. 3. Quæ conveniunt in uno esse, uno corrupto, aliud corrumpitur; atque anima rationalis & corpus conveniunt in uno esse: ergo. R. D. Maj. Quæ conveniunt in uno esse, uno corrupto, aliud corrumpitur, si ab invicem dependant in esse. C. Secus, N. Anima autem rationalis & corpus sic conveniunt in uno esse hominis, ut tamen ab invicem non dependant in esse; non enim anima dependet in esse a corpore, sed illi suum esse communicat.

ARTICULUS III.

Utrum anima rationalis creetur, vel traducatur a Parentibus.

Sensus questionis est, utrum, sicut per virtutem Patris relictam in ejus semine producitur corpus filii, ita & producatur anima filii, sicut producuntur aliæ formæ substantiales? An verò a solo Deo immediate creetur & corpori organizato infundatur? Traductionem animarum sustinuerunt Tertullianus, Apollinaris, & plures Occidentales, teste Hieronymo, obscuriores tamen. De ea dubitavit Aug. quem dubitantem secuti sunt S. Gregorius, Eucherius, Salvianus, & Rabanus Maurus; quia videbatur ipsis difficile concipere quo modo aliter anima infantis contraheret peccatum originarie in instanti conceptionis, cum Deus non sit actor peccati.

Dico: (*Heb. q. 118 art. 2. o.*) Anima rationalis non traducitur a Parentibus, sed a Deo creatur & unitur corpori sufficienter deposito. Prob. 1. ex Scriptura. Genes. 2. Deus dicitur formasse hominem de limo terre, & inspirasse in ejus faciem spiraculum vite, id est, illi infundisse animam. Eccl. 12. *Revertatur pulvis in terram suam, undè erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Porro, si spiritus sit ex semine, Deus non magis dedit illum quam corpus, & corpus non est magis ex terra quam spiritus. Hebr. 12. *Parentes dicuntur Patres carnis;* Deus autem dicitur *Pater spirituum.* Quod si anime a Parentibus traducantur, Parentes erunt pariter Patres spirituum, & Deus non erit magis Pater spirituum, quam carnis. Ita Zach. 12. *Deus dicitur figens spiritum hominis in eo.* Et Ps. 32. *Qui finxit sigillatim corda eorum;* nomine autem cordis Scriptura solet intelligere animam.

Prob. 2. ex Conciliis & Patribus. Concil. Tollet. 1. in assertionem fidei dicit: *Anima hominis non divine esse substantia, aut Dei Patris, sed creaturam dicimus Dei voluntate creatam.* Et Lateran. sub Leone X. Sess. 8. definit, animam esse immortalem, & pro corporum quibus infunditur multitudinem singulariter multiplicabilem. S. Ambros. 1. de Arca & Noè 5. dicit: *In nullo homine generantur anime.* S. Hieronymus in c. 12. Eccl. *Satis videndi sunt, qui putant animas cum corporibus seri, & non a Deo, sed a corporum Parentibus generari.* S. Hilarius 1. 10. de Trinit. probat, Christum non assumpsisse animam de B. Virgine, eo quod anima hominis opus sit Dei, carnis verd generatio semper ex carne sit... anima nunquam ab homine, generationis originibus, præbetur. S. Leo Ep. 93. c. 10. dicit, Catholicam fidem constanter prædicare, quod anime hominum priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuerint, nec ab alio incorporantur, nisi ab opifice Deo. S. Bernard. Serm. 2. de Nativit. *creando immittitur, immittendo creatur.* Hæc Patres Latini. Quantum ad Græcos legendi sunt Cyrillus Alex. 1. 1. in Joann. c. 9. Theodoretus sub finem l. 4. de materia & mundo, Athanas. Gregorius Nyss. Chrysost. &c. Ex quibus omnibus Conclusionem nostram nunc ad fidem pertinere, & oppositam esse hæreticam, videtur multis cum Auctore, qui q. 118. cit. art. 2. dicit: *Hæreticum est dicere, quod anima intellectiva traducatur cum semine.*

Prob. 3. (*Ibid. q. 118 art. 2. o.*) Si foret virtus relicta ab anima Parentis in semine ad producendam animam, esset vel materialis, vel spiritualis; atque neutrum dici potest: ergo. Prob. Min. Non est materialis; quia nulla virtus activa agit ultra genus suum: ergo virtus materialis non potest producere substantiam spirituales. Neque dicas, id posse in ratione virtutis instrumentalis, ut patet in igne interni agente in animas, & in Sacramentis producentibus gratiam spirituales. Disparitas est enim, quod virtus inferni, & Sacramentorum sit ab omnipotentia Dei, qui est ex omni parte immaterialis; at virtus seminis est ab anima, non ut est omnino immaterialis, sed ut est acrus corporis, utens in hac operatione organo corporeo; anima autem

sem ut est actus corporis non pertinet ad ordinem immaterialium, sed materialium. 2. Non est spiritualis; tum quia, ut iam dicebam, non est ab anima ut est spiritualis, sed ut est actus corporis, qua parte pertinet ad ordinem materialium: tum quia non posset permanentiter subjectari in semine corporeo, donec corpus esset sufficienter organizatum; quod enim permanentiter recipitur in subjecto, ad modum illius recipitur: ergo. Confirm. Quidquid sit illa virtus, intelligi non potest, quomodo maneat iners usquequod corpus sit perfectè organizatum, & per quod corpore perfectè organizato extincta aut sopita excitetur ad producendam instrumentaliter animam; hæc, inquam, sunt intelligibilia: ergo.

Prob. 4. (2. *cont. Gen. c. 87.*) Eorum, quæ sunt unius generis, est idem modus procedendi in esse; atqui anima est de genere substantiarum intellectualium, quæ aliter non possunt intelligi prodire in esse nisi per viam creationis, ut patet in Angelis: ergo.

Prob. 5. Id, cui convenit propriè fieri, & non fit ex materia, creatur; atqui anime rationali convenit propriè fieri, & non fit ex materia: ergo creatur. Maj. & Min. sunt probanda. Prob. Maj. Quæ non creatur, sed sunt per realem transmutationem materię, vel sunt accidentia, seu formæ non substantiales, quibus non convenit propriè & per se fieri, cum non per se & propriè subsistant, sed dependentur a subjecto; vel sunt composita materialia, quibus quidem convenit per se fieri, sed ex materia: ergo id, cui competit propriè fieri, & non fit ex materia, creatur. Prob. 1. Min. quoad primam partem. Illi convenit propriè & per se fieri, cui convenit esse per se, fieri enim est via ad esse; atqui anime rationali convenit esse per se, cum sit substantia spiritualis independens in esse a quocumque subjecto; ergo. Prob. eadem Min. quoad 2. partem. anima rationalis non fit ex materia corporea, cum ipsa sit immaterialis & incorporea; neque ex alia substantia spirituali, quia substantię spirituales non sunt ad invicem transmutabiles: ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. ex Scriptura. Genes. 46. dicitur: *Cunctæ anime, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius... Sexaginta sex:* Quod autem egreditur de femore Patris fit per traditionem seminis. Similiter Genes. 12. Abraham dicitur tulisse animas, quas tum ipse, tum Loth fecerant in Hara: ergo. R. (*Hic q. 118. art. 2. ad 1.*) in utroque textu, per synecdochen partem ponit pro toto, scilicet animam pro homine, quæ figura est frequentis in Scriptura; non tamen hoc sensu, quod totus homo sic egreditur de femore Patris, ut quilibet pars inde egrediat; sed hoc sensu, quod virtus seminis ex femore Patris egredientis disponat ad unionem anime & corporis, ex qua unione fit homo.

Inst. 1. Juxta Apost. Hebr. 7. Levi decimatus est in lumbis Abraham, & non Christus; atqui id non potest intelligi de corpore, siquidem Christus erat in lumbis Abraham secundum corpus; ergo de anima: ergo anime Levi & filiorum eius non sunt create, sed genitæ. R. N. Min. Ad Prob. D. Christus erat in lumbis Abraham secundum corpus, quantum ad corporalem substantiam, C. Quantum ad rationem seminalem, N. Solum autem Abraham posteri fuerunt decimati, id est, Melchisedech decimas per Abraham dederunt, qui erant in eo non solum secundum corpus, sed secundum seminalem rationem, qualis non fuit Christus: secundum autem animam nullus fuit in lumbis Abraham.

Inst. 2. Levit. 17. dicitur: *Anima omnis carnis in sanguine est;* atqui sanguis traducitur cum semine: ergo & anima. R. N. Conseq. Quia per animam hic intelligitur vita animalis, sive bruti tantum, ut quidam volunt, sive etiam hominis ut intelligit Augustinus; & sensus est, quod vita præcipue pendat e sanguine, sine quo animal moritur.

Obj. 2. In homine una & eadem est anima secundum substantiam vegetativa, sensitiva, & intellectiva; atqui anima sensitiva in homine generatur ex semine, sicut in aliis animalibus: ergo & intellectiva. R. D. Min. (*Ib. ad 2.*) Anima sensitiva, quæ recipitur in Embryone ante introductionem anime intellectivæ, generatur ex semine, C. Sed hæc anima non est una, & eadem cum anima intellectiva; sed desinit, adveniente anima intellectiva. Anima sensitiva, quæ est in corpore humano post introductam animam intellectivam, generatur ex semine, N. Est enim una & eadem cum anima intellectiva, per quam homo est sensitivus & intellectivus, & quæ creatur a Deo.

Si petas, per quid corrumpantur præcedentes anime, vegetativa & sensitiva? R. corrumpi per accidens per virtutem formativam semini inherentem, quæ ut instrumentum generantis disponit, & provehit materiam ad ulteriorem formam, animam scilicet rationalem, quæ est primum intentum, & finis generationis; unde corruptio præcedentium formarum est, ut

dixi, per accidens, & tanquam conditio requisita ad receptionem anime intellectivæ, non ut principaliter intenta a generante.

Inst. Si esset anima sensitiva in Embryone ante infusionem anime rationalis, ex illo non posset fieri homo; falsum Consequens: ergo. Prob. Maj. Animalium anime specie diversæ constituunt animalia specie diversæ: ergo, si anima sensitiva esset in Embryone ante infusionem anime rationalis, constitueret animal scilicet brutum, specie diversum ab homine. Subsumo; atqui diversæ species animalium non transeunt in invicem; canis enim non fit ex equo, nec bos ex cane: ergo. R. N. Sequelam. Ad Prob. D. Ant. (*Q. 3. de pot. art. 9. ad 10.*) Anime animalium specie diversæ, constituentes ens completum, & in suo ultimo termino, constituunt animalia specie diversæ, C. Anime animalium specie diversæ, non constituentes ens completum, sed in via tantum ad suum complementum, ut est anima sensitiva in Embryone, N. Siquæ Embryo non est in specie nisi per reductionem, sicut incompletum reducit ad speciem completam. Subsumptum autem non est verum nisi de speciebus completis.

Interes: ergo saltem poterit dici, quod homo, qui nunc nascitur, prius fuerit bestia. R. N. Hæronem 1. Quia, dum Embryo suberat anime sensitivæ, nondum erat homo, siquæ non poterat tunc dici: Hic homo est bestia; consequenter nec poterat tunc dici: Hic homo fuit bestia; quia nulla propositio de præterito est vera, quæ non habuit aliquando suam de presenti veritatem. 2. Quia solæ formæ, quæ insunt perfectæ, & ut ultimus terminus generationalis denominantur, non autem quæ sunt imperfectæ, & ut via tantum ad ultimum terminum generationis, quales sunt anime vegetativæ, & sensitivæ in Embryone hominis; denominatio enim desumitur ab eo, quod est perfectum, & ultimus terminus generationis, quo completur ac ponitur in certo genere vel certa specie, non autem ab eo, quod est tantum via ad illud. Non erit tamen absurdum dicere, quod materia, quæ subest nunc anime rationali, subfuerit anime vegetativæ, & sensitivæ: sicut non est absurdum dicere, quod fuerit semen immundum omni anima privatum.

Si tandem petas, quid ergo sit Embryo hominis ante infusionem anime rationalis, si neque sit planta, neque brutum? R. quod sit compositum ex humano semine, & forma disponente ad animam rationalem.

Obj. 3. Homo generat sibi simile secundum speciem; atqui species humana constituitur per animam rationalem: ergo anima rationalis est a generante. R. D. Maj. (*Hic q. 118. art. 2. ad 4.*) Homo generat sibi simile secundum speciem in quantum virtute sui seminis disponit materiam ad susceptionem formæ, ex qua homo specie sortitur, C. In quantum efficit ipsam formam, N. Ad hoc enim ut aliquid dicatur producere aliquid compositum, non est necesse, quod vel omnes vel aliquas ejus partes efficiat; sed sufficit, quod causet illarum conjunctionem, ex quali resultat compositum: sic, qui facit album, neque corpus, neque albedinem efficit, sed utrumque tantum conjungit. Est ergo in generatione hominis duplex actio & duplex terminus: prima actio est creatio, quam facit solus Deus, ejus terminus est anima secundum suum esse simpliciter. Altera actio est generatio, quam facit Deus & homo, cujus terminus est anima secundum suum inesse, seu secundum unionem ad corpus.

Obj. 4. Si anima non traducatur a Parentibus, sed a Deo creetur, concipi non potest, quomodo peccatum originale traducatur ab Adamo in posteris: ergo. Prob. Ant. Peccatum originale est in anima; atqui Deus creando animam, illam non vitiat, cum non sit auctor peccati; neque caro, in qua recipitur anima, vel semen, per quod generatur: cum enim sint corpora, non possunt naturaliter agere in animam, quæ est Spiritus, nec illam inficere: ergo non potest concipi, &c. Hæc fuit ratio Augustino, & quibusdam aliis dubitandi de traductione animarum. R. N. Ant. Ad Prob. N. Conseq. Concipitur enim peccatum originale traduci per generationem, non quod anima per illum traducatur, neque quod Deus animam creando illam inficiat, neque quod caro aut semen agat efficienter in animam, ut bene probat argumentum: sed quatenus semen movet dispositivè ad animam, & ad ejus conjunctionem cum corpore, ex qua conjunctione fit hic homo, hæc natura humana, quæ invenitur privata justitia originali, in qua privatione, ut nobis voluntaria in Adamo, consistit peccatum originale. De quo latius dixi in Tract. de Peccatis Dissert. 6. art. 2. §. 2.

Obj. 5. Si anime rationales a Deo crearentur, Deus cooperaretur adulteris, ex quorum illicito coitu proles generatur; Falsum Consequens: ergo. R. (*Ibid. ad 5.*) quod in actione adulterorum id, quod est natura, bonum est, & hinc Deus cooperatur: quod verò est inordinatæ voluntatis, malum est, & hinc Deus non cooperatur.

Obj.

Obj. 6. Illud solum creatur, quod producitur nullo præsupposito subjecto; atqui anima rationalis non producitur, nullo præsupposito subjecto: ergo. R. D. Maj. Illud solum creatur, quod producitur, nullo præsupposito subjecto, a quo educatur & dependeat in esse, C. Quod producitur nullo præsupposito subjecto tanquam mera conditione, a qua non dependeat in esse, N. Anima rationalis autem non præsupponit materiam ex qua educatur & dependeat in esse, cum per se subsistat etiam separata a corpore.

ARTICULUS IV.

Utrum anime fuerint create ante corpora?

Error fuit Origenis, & Priscilianistarum, omnes animas ab initio mundi fuisse creatas cum Angelis, & in penam peccatorum, quæ commiserunt tunc sine corpore, fuisse detrusas in corpora tantum in carceres. Contra quos

Dico: Anime rationales non fuerunt create ante corpora, sed creaturæ & corporibus suis infunduntur, dum sint sufficienter disposita. Prob. 1. ex illo Apost. Rom. 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, vel mali:* ergo, ante nativitatem hominis, anime neque peccaverunt, neque bene egerunt: ergo nec exiterunt; non enim otiose fuissent. Prob. 2. ex S. Leone cit. probat. 2. præcedentis art. qui dicit fidem catholicam constanter prædicare, quod anime hominum, priusquam suis corporibus, non fuerint. Idem docent constanter Ss. Patres, qui adversus Origenistas & Priscilianistas insurrexerunt, S. Cyrillus 1. 1. in Joann. c. 9. S. Hieron. Ep. 27. S. Chrysost. S. Bernardus, & alii. Prob. 3. (*Ibid.*) ratione. Anima rationalis est per se forma corporis, ut definitum est in Concil. Viennensi, & habetur Clementina de summa Trin. ergo illi naturale est uniri corpori. Subsumo; atqui non fuit conveniens, ut Deus suum opus inciperet ab imperfectis, quæ sunt præter naturam; non enim fecit hominem sine manu vel pede, quod esset præter naturam hominis: ergo multo minus fecit animam sine corpore. Prob. 4. Si anime ab initio mundi create cum Angelis peccassent, nunquam fuisset statum innocentie, qualis a Scriptura describitur, & ab Ecclesia defenditur: ergo. Confirm. 5. Scriptura sæpè exprobat hominibus peccata præsentis vite, nunquam vite anterioris. Unde hoc? nisi quia nulla fuit vita anterior.

Dices 1. Genes. 2. dicitur: Deus requievit die septimo ab universo opere, quod pararat: ergo nihil nunc Deus producit per creationem; consequenter nec animas rationales. R. N. (*Ibid. q. 118. art. 3. ad 1.*) Conseq. Deus enim dicitur cessasse ab omni opere, non simpliciter, siquidem dicitur Joann. 5. *Pater meus usque modo operatur;* sed a novis rerum generibus & speciebus condendis, quæ in primis operibus non aliquo modo existerent: anime autem humane, quæ nunc creatur, præexisterunt secundum similitudinem speciei in primis operibus, in quibus anima Adæ fuit creata.

Dices 2. Sapient. 8. Salomon dicit: *Puer autem eram ingenuus & sortitus sum animam bonam. Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoquinatum:* ergo anima creata erat ante corpus. R. N. Conseq. Sensus enim Sapientis est, quod, cum bonam animam Dei munere sortitus esset, effecit corpus suum purum a coinquinacionibus seculi. Adde, quod hæc auctoritas non favet Origenistis & Priscilianistis, qui dicunt animas esse in corpora ut in carceres detrusas in penam peccatorum.

ARTICULUS V.

An, & qua ratione homo sit factus ad imaginem Dei?

Hominem esse factum ad imaginem Dei, aperte constat ex Scriptura. Genes. 1. dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram... Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos.* Idem Sap. 2. & Eccl. 17. Sed questio est, qua ratione homo sit imago Dei?

Dico. (*Hic q. 93. art. 1. 6.*) Homo est vera Dei imago ratione naturæ intellectualis, imperfecta tamen. Prob. (*Ibid.*) 1. pars. Ad rationem imaginis duo requiruntur. Primum, quod sit similis illi, cujus est imago, in ratione specifica & ultima differentia, vel in signo speciei, vel saltem in nobilissima proprietate illius. Secundum, ut similitudo sit expressa & deducta ex

eo, cujus dicitur imago; quia imago dicitur ex eo, quod imitatur alterum: sic filius est imago Patris, representatio Caesaris in tela vel cupro est imago Caesaris; quia utrumque est in similitudinem naturæ specificæ, vel in ejus signum & expressum atque deductum ex eo, cujus est imago. Defectu primæ conditionis pediculi, qui nascuntur ex homine, non sunt ejus imaginæ, quia illi non assimilantur in natura specificæ, sed generica tantum. Defectu secundæ conditionis ovum non est imago alterius ovi; quia, licet sit illi simile in natura specificæ, non est tamen ex eo deductum & expressum; atqui homo habet has duas condiciones respectu Dei, ratione naturæ intellectualis: ergo. Prob. Min. Homo est expressus & factus ab ipso Deo secundum similitudinem illius naturæ intellectualis, quæ est in Deo ultima differentia & quasi species; secundum enim hanc naturam intellectualem homo est actus ad cognoscendum & amandum Deum, sicut Deus se cognoscit & amat: ergo. Prob. (*Ibid.*) 2. pars. Similitudo Dei in homine non est ad æqualitatem, cum exemplar excedat in infinitum hoc exemplatum. Et hoc indicat Scriptura, dicens hominem factum ad imaginem Dei; præpositio enim ad accessum quendam significat, qui competit rei distanti. Unde solus Filius Dei est perfecta imago Patris æterni.

Ex dictis colliges 1. (*Ibid. art. 2. o.*) Creaturas irracionales propriè loquendo non esse factas ad imaginem Dei; quia, licet illi assimilentur aliquo modo secundum genus, scilicet in esse & vivere, non tamen secundum speciem seu gradum intellectuales naturæ, qui est supremus gradus naturæ. Colliges 2. (*Ibid. art. 3. o.*) Angelos esse perfectius factos ad imaginem Dei, quam homines; quia sunt perfectiores in natura intellectuali. Colliges 3. (*Ibid. art. 4. o. & ad 1.*) Imaginem Dei reperiri in quolibet homine, sive masculino, sive foemina, sive bono, sive malo, quia in quolibet homine est anima intellectualis, secundum quam est aptus ad cognoscendum & amandum Deum. Unde Genes. 1. cum Moyses dixisset: *Ad imaginem Dei creavit illum,* scilicet hominem; subdit, *masculum & feminam creavit eos.*

Attamen (*Ibid. ad 2.*) secundum aliquid secundarium imago Dei invenitur in homine, secundum quod non invenitur in muliere: nam vir est principium & finis mulieris, sicut Deus est principium & finis omnis creature. Unde, cum Apost. 1. Cor. 11. dixisset, quod vir sit imago & gloria Dei, mulier autem gloria viri, ostendit quare hoc dixerit subdens: *non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro,* quantum scilicet ad primam eorum creationem; & non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Adde, quod in homine magis vigeat ratio, quam in muliere.

Observandum est autem, (*Ibid. o.*) quod, cum homo secundum naturam intellectualem ad imaginem Dei esse dicatur, ideo sit maxime ad imaginem Dei secundum quod intellectualis natura Deum imitari potest; imitatur autem maxime Deum intellectualis natura in hoc, quod Deus seipsum cognoscit & amat. Unde imago Dei potest tripliciter considerari in homine: uno quidem modo secundum quod homo habet aptitudinem naturalem ad cognoscendum & amandum Deum, & hæc aptitudo consistit in ipsa natura mentis, secundum quam creatus est homo; & ideo vocatur imago creationis, seu naturæ. Alio modo secundum quod homo per fidem & charitatem cognoscit & amat Deum supernaturaliter, sed tamen imperfectè; quod cum fiat per gratiam, per quam anima novo quodam modo creatur, dicitur imago recreationis: Tertio modo secundum quod homo Deum per lumen gloriæ & charitatem patriæ perfectè cognoscit & amat, de qua Rom. 8. *Prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Et hæc imago dicitur imago similitudinis gloriæ. Prima convenit omnibus hominibus, etiam malis. Secunda solis justis. Tertia solis beatis. Quando delerit in hominibus, intelligendi sunt de imagine recreationis per gratiam, non de imagine creationis, seu naturæ.

Petas, utrum in homine sit imago Dei, non solum quantum ad naturam divinam, sed etiam quantum ad Trinitatem personarum? R. affirmativè; (*Ibid. art. 6. 7. & 8. opusc.*) quia homo non solum imitatur naturam divinam quatenus se intelligit & diligit, sed etiam quatenus se intelligendo producit verbum & se diligendo amorem: homo enim similiter cognoscendo Deum producit verbum, & ipsum diligendo producit amorem, siveque in eo reperitur principium verbi, verbum, & amor, quibus in Deo constituitur Trinitas personarum.